In precedenti capitulo audivimus de Christi generatione.
Consequenter audiamus de magorum oblatione.
Eodem die cum Christus in Iudea esset natus.
Ortus eius tribus magis in oriente est nunciatus.
Viderunt namque stellam novam in qua puer apparebat
Super cuius caput crux aurea splendebat.
Audieruntque vocem quandam dicentem sibi
Ite in Iudeam et novum regem natum invenietis ibi
Tres igitur isti festinanter in Iudeam pergebant.
Et regi celi nato sua munera offerebant
Hy tres magi per tres robustos prefigurati fuerunt.
Qui regi David aquam de cisterna bethleem attulerunt
Istorum robustorum virtus et audacia multum commendatur
Sic magorum adventus et oblacio valde approbatur.
Tres robusti exercitum inimicorum non timuerunt
Sed viriliter castra eorum transeuntes aquam hauserunt
Sic tres magi potentiam herodis regis non formidaverunt
Sed audacter iudeam intrantes de novo rege interrogaverunt
Iaspar balthasar melchior nomina sunt magorum
Iabysai sobokai bonayas nomina robustorum
Tres robusti preterierunt bethlehem propter aquam cisterne.
Tres magi venerunt bethleem propter aquam gratie eterne
Tres robusti hauserunt aquam de cisterna terrestri.
Tres magi susceperunt aquam gratie de pincerna celesti
Figurabat enim illa bethlehemitica cisterna.
Quod in bethlehem nasciturus esset celestis pincerna.
Qui propinaret aquam gratie omni sicienti.
Et daret aquam vite gratis precium non habenti
David rex aquam allatam deo pro graciarum actione offerebat
Gaudens et exultans quod tam robustos viros habebat
Cristus autem rex celi et terre gaudebat et exultabat
Quia adventus magorum conversionem gentium prefigurabat
David rex videtur sitisse non aquam sed suorum virtutem.
Christus autem perhibetur sitisse nostram conversionem et salutem.
Tres robusti bethlehem brevi hora preterierunt.
Tres magi de oriente brevi tempore bethlehem pervenerunt.
Si queritur quomodo tantum spacium tam cito potuerunt transmeare
Dicendum est quod Christo nato non erat impossibile hoc dare
Qui enim duxit abbakuk subito de iudea in babilonem
Cito perducere potuit magos de oriente in iudeorum regionem
Venientes igitur magi bethlehem coram puero procide
Aurum thus et mirram ei offerebant. bant
Figura huius novi regis et huius oblacionis
Premonstrata fuit olim in regno regis salomonis
Salomon rex licet puer esset tamen sapientissimus fuit
minus Deus puer tamen non ~~minimus~~ sapiens quam antea exstitit
Salomon rex residebat in throno de ebore mundissimo.
Qui vestitus erat auro optimo et purissimo.
Universi reges terre regem salomonem videre desiderabant.
Et ei munera preciosissima et rarissima portabant.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0038
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt